DE

SALICINIO

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-THERAPEUTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA-GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
OTTO LUDOVICUS DE BESSER
OCCIDENTALI-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
E. MICHAELIS, MED. ET CHIR. DR.
G. PEIFFER, MED. ET CHIR. DR.
A. LEINER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

EDUARDO WOLFF

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI, TIRONUM MILITARIUM EQUESTRIUM LEGIONIS MEDICO PRAEFECTO, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS MEDICO PRIMARIO.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE SUMME VENERANDO

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

PIO ET GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO S.

Jam per plura saecula inter illa remedia innumerabilia, ad febres intermittentes adhibita, cortex quoque salicis ob vim febrifugam laudatus est. Ipsa china regia salicis virtutes plane oblivioni tradere non potuit. Omnes vero medici in eo consenserunt, quod principium efficax tanta alienorum copia esset complicatum, quanta tubus intestinalis nimis molestaretur, quod autem opprobrium omnibus illis nervino-tonicis, maiori minorive gradu, commune est. Eo maiorem igitur sibi gloriam *Pelletier* et *Cavanton* vindicavere, quorum experimentis sagacissimis docti, partes essentiales in illis remediis ab inutilibus dirimere, et per se,

sine ulla intestinorum molestia timenda, adhibere possumus. Haec sane nova praeparata chemica, Alcaloides, omnium aetatum medicis ut iam Chinium et Cinchonium nobis ostentavere maximi momenti sunt et erunt. Qua de causa mihi non omnem operam perdidisse videbar si de Salicinio scripturus fuerim.

Salicinium novissimis temporibus sane a *Buchnero*, chemicorum nostrorum principe, primum e cortice salicis incanae et vitellinae praeparatum est. Fontana (Lazizensis) quidem iam substantiam quandam in salice alba, cum acidis sales formantem, ad multos morbos sanandos potentissimam se invenisse narrat, quam Salicinium nominavit; res vero ipsa tunc temporis tam erat dubia, ut mox obliterata esset, qua de causa *Buchnero* nomen detectoris hujus medicaminis tribuere debemus. Nihilominus tertius adhuc exstitit Francogallus *Le Roux* (pharmacopola in oppido Vitry le Français) qui e salice helice multisque aliis salicis speciebus se anno praeterlapso salicinium primum detexisse contendit, quum inventum Germani *Buchneri* (quod jam saepe in Francogallia prioribus temporibus occurrit), ignotum illi fuisset. Medici vero Francogalli nova tentandi cupidiores quam Germani statim et Salicinium a *Le Roux* academiae scientiarum Parisiensi commendatum in nosocomiis Parisiensibus adhibuerunt, virtutesque medicaminis ad astra usque sustulerunt.

Virtutes Salicinii haec sunt: Crystalli sunt albi nidore margaritarum, aciformes, prismatici, tenues, (*Buchneri* Salicinium rubrum redditur) saporis peramari (aromatis, quod secundum alios medicamini inest, nihil percipere potui) in aqua fervida et alcohole, minime vero in aethere et oleo terebinthinae, solubiles, cum acido sulphurico coniuncti colore rubro; acido muriatico et nitrico, sine colore solvuntur, acidis coniuncti salia neutralia crystalliformia (*Peschier* Salicinium sulphuricum, nitricum, muriaticum, phosphoricum, aceticum praeparavit) et acidis rursus separatis alcalia formantur. Salicinium continet secundum *Peschier:*

Carbonei atomos	2
Hydrogenii	4
Oxygenii	1

seu

Carbon	55,491
Hydrogen	8,184
Oxygen	36,325
	100.

Methodus, salicinium praeparandi variae existunt. *Buchner* iam tres ex extracto salicis aquoso praeparandi modos descripsit; albumine, hydrate calcis, et acido sulphurico. *Gay-Lussac* et *Pelouze* corticem salicis in aqua coquunt, kali carbonicum et tum plumbum aceticum liquidum addunt, quod acido sulphurico et gase hydrosulphurato plane praecipitatur. Calcaria carbonica et acido sulphurico l. a. additis nunc neutralisationem efficiunt, liquorem carbone animali decolorant, coctum filtrant et bis terve in crystallos redigunt.

Peschier, cuius methodum et Berolinenses secuti sunt, corticem salicis coquit, exprimit, plumbo acetico praecipitat (quod calcaria carbonica decomponitur), liquorem decanthat, ad extracti consistentiam evaporat, adhuc fervidum exprimit, alcoholem addit, cuius partem tertiam destillat, quo facto crystalli formantur. Ille quoque primus naturam Salicinii alcaloideam monstravit. Praeterea ***Braconnot*** e variis aliis salicis et populi speciebus Salicinium elicuit: e salice fissa, amygdalina, heliceque, et populo tremula, alba et graeca. —

Jubente ministerio altissimo experimenta cum salicinio in febribus intermittentibus curandis in nosocomio caritatis auspiciis viri Illustrissimi Dr. ***Wolff*** instituta sunt, quibus interesse mihi contigit, quorumque eventum in hisce pagellis communicare in animo habeo.

Observatio prima. ***Fridericus Sanne*** viginti annos natus, die sexto decimo Martii in nosocomium receptus est. Constitutione irritabili per octo dies febre laborabat, quae, primo continuoremittens, postea typum intermittentem accepit. Paroxysmi, hora matutina quinta magno horrore intrantes, ad vesperam usque perdurabant, tum vero sudore largo effuso in intermissionem transiere. Magnam ob pulsus frequentiam, congestiones ad caput, et dolores hisce effectos, in primis morbi diebus venaesectio instituta et interne solutio magnesiae sulphuricae praescripta est, ut simul alvus duceretur. Remediis his morbus lenior redditus est, ita, ut iam die vicesimo secundo eiusd. mensis paroxysmus hora duodecima finitus esset. Hoc die aegrotus

Solut. Salicinii (℈j) ℥jj

omni trihorio cochlear accepit, et bene pertulit. Remedium vasorum actionem minime irritavit, etsi hoc in aegroto tam irritabili exspectari licuit.

Die XXIII. Mart. paroxysmus eadem hora eademque cum vehementia ac proximus revertit, et sicuti antea scrupulo salicinii sumpto hora iam quarta diei proximi rediit et ad horam usque duodecimam per-

tinuit. Semidrachma salicinii sumpta paroxysmi proximi siquidem non tempus, horrorem tamen imminuit, qui iam post horam dimidiam cessavit. Eodem modo salicinii grana quadraginta, in intermissione data, nullum in paroxysmum ipsum ostendere effectum. Paroxysmi igitur granis ex huius remedii quod ad vehementiam, fere non mutabantur, dolores capitis vehementissimi, illos comitantes, febris suppressionem requirebant, quare

Solut. chinii sulph. (Gr. xjj) ℥jv

praescriptae sunt.

Die XXVII Mart. paroxysmus sine ulla vehementia, et postero die, gr. duodecim chinii sulph. reiteratis, plane non rediit. Aegrotus per breve tempus convaluit, ita ut iam die quinto m. Aprilis nosocomium relinqueret.

Observatio secunda. *Anna Fink*, quadraginta octo annos nata, die duodevigesimo Martii recepta, iam per viginti unam hebdomades febre intermittente laborabat, quae primo typum quotidianum tum tertianum et postremo quartanum prae se tulit. Morbus, etsi per longum tempus protractus, solitos febrium intermittentium eventus secum non duxit, ciborum imo appetentia nullo modo minuta apparuit. Remediis solventibus in usum vocatis, paroxysmus tertius diei vigesimi quarti Martii hora secunda postmeridiana venit, frigus horam dimidiamque, calor ad vesperae horam nonam, et sudor eum insequens totam per noctem tenuit.

Die XXV Mart.

Solut. salicinii (℈j) ℥jj

omni trihorio cochlear praescriptum, quod postero die reiteratum est.

Die XXVII Mart. parroxysmus solita hora accessit; frigus sicuti in proximo, calor vero iam hora vespertina sexta desiit. Aegrota utroque insequentium dierum triginta salicinii granis usa, die XXX M. hora demum postmeridiana tertia, et frigore et calore fere insensibili, sudore vero profuso, correpta est. Sudor hic, cum pro critico haberi posset, salicinii usum non amplius requisivit. Nihilominus diei 2. Aprilis hora postmeridiana quarta et dimidia paroxysmus rediit, cuius stadium primum horae quadrantem, qui vero ipse horam implevit. Ut totus igitur exstingueretur morbus, utroque insequentium dierum grana octo Chinii sulph. soluta in usum vocata sunt, quae reditum febris prohibuere.

Observatio tertia. *Carolina Schmidt*, viginti novem annos nata, die secundo Octobris a. MDCCCXXX in nosocomium recepta, iam antea febri intermittente laboraverat, quae, in febrem nervosam transiens, curationem requisiverat valde accuratam. Mense iam Decembre convalescentia eius, febri intermittente recidiva interrupta est, quae die XXI. Decembr. sublata esse videbatur. Ceterum tertio Januarii die febris intermittens typum quartanum ferens; rediit, et ex efficacissimis magna pertinacia impugnavit remediis. Diversis chinae praeparatis, ferro zootico dosibus magis magisque auctis, omnino verum CL granis frustra adhibitis solutio arsenicalis *Fowleri* in usum vocata, sed diebus sex praeterlapsis, quum aegrota vehementibus abdominis doloribus corriperetur, remissa est. Eodem modo

nuci vomicae, postea adhibitae, eventus prosper defuit.

Omnia haec remedia nihil nisi transitum typi quartani in tertianum effecerant, ita, ut stadia frigoris proxima per horam dimidiamque tenentia, calor mordax, deliriis coniunctus, et sudor largus insequerentur. Talem post paroxysmum, salicinii scrupulis duobus in aquae unciis tribus solutis die XXIII Mart. adhibitis, et postero reiteratis paroxysmus, secundum typum tertianum frustra exspectatus est.

Sed quamquam hoc die iterum Salicinii scrupuli duo in usum vocati erant, postero die lenior rediit. Drachmis igitur omnino duabus adhibitis ob menses apparentes remedii usus ut ittermitteretur necesse erat. Paroxysmi eadem cum vehementia rediere, vires magis magisque imminutae et transitus febris intermittentis in continuo-remittentem experimenta amplius institui vetuere. Postea Chinoidino et Chinio muriatico in tempus liberata et denique chinio sulphurico cum opio sanata est.

O b s e r v a t i o q u a r t a. *Fridericus Schneider*, 26 annos natus die 16 Martii in nosocomium receptus, catarrho pulmonum inflammatorio laborabat, quo sublato febris illum comitans in febrem intermittentem transiit. Sordibus gastricis sublatis, et paroxysmis duobus, qui hora decima matutina satis magna vi intrabant, praeterlapsis, febris supprimendae causa die 24 Martii

Salicinii ℈j
Aq. destillat. ℥jjj.

in apyrexia consumendae praescriptae sunt; nihilo-

minus paroxysmus postero die, eadem hora, eademque vehementia rediit. Eodem modo Salicinii scrupuli duo in utraque insequenti apyrexia adhibiti, nullum in paroxysmos ostendere effectum, qua re die 27 Martii

Chinii sulphur. Gr. vjjj in
Aq. destillatae ℥jjj

in usum vocata sunt, quibus febris occubuit.

Observatio quinta. *Ludovica Franz*, 22 annos nata, habitu scrophuloso, per duodecim iam dies febri intermittente quotidiana laborans, die 22 Martii in nosocomium venit. Quum in apyrexia versaretur, et signa sordium adessent, mixtura solvens praescripta est. Postero die paroxysmus hora octava antimeridiana, tum vero binis horis semper anticipans, intrabat; frigore per horam, calore per idem tempus obtinentibus, sudor largus sequebatur. Sordibus gastricis remotis die 25 Martii post apyrexiam aegota

Salicinii ℈jj
Aq. destill. ℥jjj

omni hora cochleari usa est, et febris iam postero die defecit. Nihilominus eadem Salicinii quantitas iterata, tum vero alia remedia amara, ne febris rediret, adhibita sunt. Attamen febris septem post dies rediit, etsi pristina vehementia caruit. In tribus intermissionibus aegrota binos Salicinii scrupulos sumsit; quibus paroxysmi adeo leniores redditi sunt, ut in tertio eorum, ne frigus quidem appareret. Tum totus, ut extingueretur morbus Chinii sulphurici grana duodecim, et ad febrem recidivam prohibendam

Decoctum Chinae cum Tictura Calami in usum vocata sunt.

Observatio sexta. *Henricus Zander*, 25 annos natus, a die 15 Martii, hypochondria vexatus, in nosocomio versabatur. Die 15 Maii quum iam duobus diebus ante horrorem lenem caloremque, sudori sparso iunctum, sensisset, paroxysmo correptus est, in quo stadium frigoris semihoram, calor horam et sudor horas nonnullas non excesserunt. Symptomata cum deficerent, quae suppressionem febris vetarent, statim

Salicinii ʒjß.
Aq. destill. ℥jjj.

praescriptae sunt, quae in intermissione sumerentur. Febris non rediit.

Observatio septima. *Carolus Schmidt*, 39 annos natus, die 2 Novembris 1830 in nosocomium receptus, decem per dies febri intermittente tertiana, quae hydropem universalem secum duxit, laboravit. Aegrotus, cainca frustra adhibita, aliis remediis sanatus, in convalescentia valde protracta die 14 Aprilis iterum febri correptus est. Horror cum per horas fere duas commoraretur, magnus calor sudorque largus insequerentur, ita ut aegrotus valde debilitaretur, statim

Salicinii ʒjß
Aq. destill. ℥v

in apyrexia adhibendae praescriptae sunt. Nihilominus paroxysmus eadem vehementia, typo tertiano, rediit, et eadem quantitate Salicinii iterata lenior tantum redditus est. Aegrotus igitur die 19 Aprilis

Salicinii ʒjj.
Aq. destill. ℥jjj.

in intermissione sumsit, et febris insequenti die frustra exspectabatur, etsi prodromi eius apparebant. Attamen ut ne vestigium quidem febris maneret, eadem quantitate usus, nec morbo diutius vexatus est, ita ut remedia roborantia adhiberi possint.

Observatio octava. *Carolina Beyer*, 14 annos nata, constitutione debili praedita, febri intermittente, quae typum irregularem prae se ferebat, diu laboraverat, dein sanata rursus in febrem intermittentem quartanam incidit, et post quatuor hebdomades valde debilitata, die secundo Martii, in nosocomium venit. Ibidem vero febris typum tertianum ostendit, intermissionesque perfectas minime exhibuit, quum pulsus semper valde concitatus appareret, ita ut febris magis remittens tertiana, quam intermittens esse videretur, et cura magis remedia, quae secretiones provocarent, quam febrifuga specifica requireret. Post hebdomades duas, intermissionibus perfectis intervenientibus, febris suppressa est, sed convalescentem die 20. Aprilis rursus invasit. Paroxysmus hora matutina nona, horrore horam, calore horas duas, sudoreque ad vesperam usque perseverantibus, intravit. Complicationes cum deficerent, et postero die apyrexia adesset, statim

Salicinii ʒjß.
Aq. destill. ℥v.

ordinatae sunt. His paroxysmus insequens multo lenior redditus est, qua re aegrota in altera apyrexia

Salicinii ʒjj.
Aq. destill. ℥v.

sumsit, et diutius febri vexata non est.

Observatio nona. *Guilelma Kohnert*, 26 annos nata, habitu plethorico, diu iam mensibus suppressis et anno praecedenti hydrope ascite aegrotavit, quibus ex malis intumescentia abdominis remansit. Quum die octavo Aprilis in nosocomium reciperetur febri gastrico-rheumatica laboravit, quae die 12 eiusdem mensis in intermittentem tertianam transiit. Sordes gastricas et obstructionem alvi solutio Ammonii muriat. cum Magnes. sulphur. removit. Deinde die 20

Solut. Salicinii (ʒß) ℥v.
per apyrexiam sumendae

praecriptae sunt; paroxysmus vero postero die immutatus rediit. In sequenti intermissione aegrota eandem quidem medicaminis dosin sumsit, attamen paroxysmo vehementi, prioribus simili, correpta est. Quam ob rem, ne nimis debilitaretur

℞ Chinii sulphur. Gr. xvj.
Ammon. mur. ʒjj.
Aq. destillat. ℥jv.
Solut. liquirit. ℥ß.
omni bihorio cochlear,

in usum vocata sunt; lingua enim simul obtecta erat.

Granis duodecim chinii sulphur. adhibitis paroxysmus tamen incessit, etsi vehementia eius valde minuta fuit. Totidem in apyrexia datum paroxysmum postremum suppressit; sed tertio quoque die vestigia nonnulla, quae paroxysmum indicere solent, sese ostenderunt, usumque Chinii amplius requisivere. Aegrota igitur mane vespereque grana duo sumsit et dein sanata die 24 Maii nosocomium reliquit. —

Observatio decima. *Carolus Neuthe*, 44 annos natus, habitu abdominali, ex refrigerio febri affectus die 16 Aprilis in nosocomium venit. Signa sordium gastricarum cum deficerent, obstructio alvi vero et dolores in regione hypochondriaca dextra adessent, qui affectionem hepatis levem indicabant, Solutio magnesiae sulphuricae,

interne praescripta, et

Hirudines medicin. Nro. xvj.

ad locum affectum applicatae sunt. Postero iam die, alvus quum duceretur, dolores desiere, febris fere quievit. Die 18 Aprilis paroxysmus intravit, quem apyrexia, et typo tertiano observato, hora matutina undecima secundus est secutus, frigore horam dimidiam, calore horas tres et sudore largo ad vesperam tenentibus. In intermissione sequente aegrotus

Solut. Salicinii (ʒß) ℥jj.

et quum paroxysmus secundum typum tertianum non rediret, dosin eandem, eo die quo febris frustra exspectata est, sumsit. Nihilominus paroxysmus typo quartano etsi proximis lenior intravit atque eundem sequens rediit. Tum

Chinii sulphur. Gr. xjj.

adhibitis febris quievit et aegrotus die 16 Aprilis sanus nosocomio exiit.

Observatio undecima. *Maria Hübner* puerpera, 26 annos nata, quae iam initio graviditatis febri intermittente laboravit, quarto die post partum, die 13 Aprilis, denuo febri correpta est. Frigus hora matutina octava intravit et post horam in calorem transiit, qui eodem tempore praeterlapso sudore finiit. Sordes gastricae cum praecipue sese

ostenderent, solutio Ammonii muriatici, ut moverentur, praescripta est. Febris typum tertianum sequens die 15 et 17 Apr. eadem vehementia rediit, sordes gastricae vero remotae erant, ita ut nihil suppressionem ejus vetuerit, et aegrota in intermissione sequente

Solut. Salicinii (ʒj) ℥jv.

uteretur. Nihilominus paroxysmus die 19 Aprilis denuo rediit, quanquam minus vehemens et brevius temporis spatium amplectens. Illo praeterlapso.

Solut. Salicinii (ʒjß) ℥jv.

praescriptae sunt, quas vero aegrota contra iussa paulo ante paroxysmum, die 21 Aprilis, exspectatum universas bibit. Paulo post calorem haud ingratum in regione epigastrica persensit, quem mox sese supra totum abdomen expansum diarrhoea secuta est, ita ut illa sexies per diem alvum deponeret. Paroxysmus non venit, aegrota, etsi maxime debilitata, bene se tulit usque dum die 27 Aprilis imprudens refrigeratione febrem recidivam sibi acquireret. Hac leniore quam antea, Granis duodecim Chinii sulph. remota, aegrota brevi tempore convaluit et die 6 Maii nosocomium reliquit.

Observatio duodecima. *Henricus Witt* 30 annos natus, die 6 Januarii herpete scabioso laborans nosocomium petiit, quo suppresso Hydrothorax apparuit. Hic quum usu sulphuris, cremoris tartari, elaeosacchari Juniperi et remediis externis rubefacientibus sublatus et exanthema elicitum esset, aegrotum convalescentem febris intermittens invasit. Typus tertianus quum sese die 26 Aprilis satis forti

paroxysmo manifestasset, et ad febrem supprimendam nihil obstaret,

Solut. Salicinii (ℨjj) ℥jv.

per apyrexiam sumptae paroxysmum insequentem die 28 Aprilis multo leniorem reddidere. Eadem Salicinii dosi denuo data febris non rediit; ac ne reverteretur decoctum Chinae praescriptum est. Aegrotus ut exanthema sanaretur, in nosocomio adhuc remansit. —

Observatio decima tertia. *Martinus Piper* 25 annos natus constitutione valida, die 10 Februarii a MDCCCXXXI in nosocomium receptus est. Inflammatio pericardii et diaphragmatis curam strenue antiphlogisticam requisierat aegrotumque valde debilitaverat. Convalescentia eius progressus lentos fecit. Die 11 Martii febri interurpta est, quae mox intermittens tertiana anticipans apparuit, et quanquam mox sublata ter tamen recurrit. Impetus satis vehementes videbantur, frigore plus quam horam et dimidiam, calore duas perseverantibus, quae sudor largus excepit. Cum simul diarrhoea observaretur aegroto

Aq. menthae ℥vj.
Extr. card. bened. ℨjj.
Tinct. opii benzoic. ℥ß.
omni bihorio cochlear

datum est. Quo facto diarrhoea abiit, paroxysmi vero ter, ut antea, rediere, quibus die 26 Maii finitis

Solut. Salicinii (ℨjj) ℥v.

in apyrexia consumendas accepit. Attamen die 28

paroxysmus rursus apparuit, qui vero neque vehementia neque temporis spatio priorem attigit. Eadem igitur Salicinii dosis repetita est, qua febris impetus restringere contigit. Tum, ut aegroti vires reficerentur

Elix. amar. ℥vj.
omni bihorio cochlear

dari iussum est.

EPICRISIS.

Inter casus supra memoratos tredecim salicinium in quatuor febribus intermittentibus quotidianis, in septem tertianis et duabus quartanis datum est. Quarum sunt septem (observat: 5, 6, 7, 8, 11, 12, 13) et quidem duae quotidianae, tertianaeque quinque, in quibus salicinium morbi sanationem effecit, duae (ambae quartanae: obs. 2 et 3) quas leniores reddidit, et quatuor (quotidianae duae, observ. 1 et 4, tertianarum totidem, obs. 9 et 10) in quibus nullum praebuit auxilium. Ibi tamen observandum esse videtur: salicinium initio secundum medicorum Francogallicorum praecepta in dosibus admodum parvis adhibitum esse et timendum fuisse, ne, si paulatim ad maiores transitus institueretur, morbus ad aegroti damnum nimis protraheretur, unde remedium intermitti saepe necesse videretur, quamvis in maioribus dosibus adhibitum maius auxilium allaturum fuisse opinari licuerit.

Bis (obs. 5 et 11) sex septemve diebus praeterlapsis, febres recidivae secutae sunt.

Semel remedium typum tertianum in quartanum mutavit. Transitus typi tertiani in quartanum, qui in observatione tertia memoratur, eodem iure mensibus apparentibus adnumerari licuit.

Doses, in quibus salicinium dari necesse erat, ut opportunum effectum praeberet, omnes fere multo

maiores erant quam, quas medici Parisienses praescripserant. Quippe quorum *Miquel*, qui primus experimenta cum salicinio instituit, quinque grana minimam dosin nominat, et viginti quinque vel triginta grana ad vulgarem febrem intermittentem sanandam sufficere contendit. Pertinaces tantum febres maioribus dosibus impugnat et in febre quartana omnino ducenta quadraginta grana adhibuit. Illi medici Parisienses ceteri assentiunt, quos salicinium nunquam fefellit. Aëris Francogalici conconstitutio vel febrium intermittentium natura lenior causam forsitan praebuere, qua adjutas doses tam parvas prosper secutus est effectus.

Secundum observationes supra relatas minima apud nos quatuor scrupulorum erat dosis (obs. 5) secunda drachmae semisque (obs. 6) tertia (obs. 11) duarum semisque, quarta (obs. 8) trium semisque quinta et sexta (obs. 12 et 13) quatuor drachmarum, et septima (obs. 7) totarum septem drachmarum. Ubi salicinium vim tantum febrium fregit in primo casu (obs. 2) scrupuli quinque, in secundo (obs. 3) drachmae duae et in tertio (febris recidiva in obs. 5) vel quatuor adhibitae sunt. In unius drachmae dosi (obs. 10), in quinque scrupulorum et dimidii (obs. 1), quinque scrupulorum (obs. 5) et drachmarum trium (obs. 9) nihil profecit. —

Doses, quae in duodecim horarum apyrexia sine omni damno dari poterant scrupulos duos ad drachmam usque, in viginti quatuor horarum apyrexia drachmam dimidiam vel duas aequaverunt.

Incommoda secundaria, quae usum omnino impedirent, observata non sunt. Aegrotorum, quibus

datum est, nemini stomachum gravavit vel ciborum appetentiam minuit, apud neminem, quamquam largae doses adhibitae erant, actio vasorum aucta conspiciebatur, ne in iis quidem casibus, in quibus, ut in primo et quarto, facillime exspectari poterat. Secretiones augere remedium non videtur, semel tantum (obs. 11) quum aegrota imprudenter drachmam unam semisque una, easque brevi ante paroxysmum exspectatum biberet, eodem die excrementa fluida sexies ducebantur, quae vero ne ibi quidem suo ordine ingrediebantur ubi diarrhoea remedii usum antecesserat (sicuti in obs. 13). —

Comparatis chinii sulphurici cum salicinii viribus in curandis febribus intermittentibus, prioris remedii praestantia apparet, cuius vis febrifuga utilitate fere universali, dosibus parvis, quibus prodest, et brevi temporis spatio, probatur, quo propositum attingi permittit.

Salicinii vero efficacia, dosibus quamquam, in quibus adhiberi necesse erat, multo maioribus, temporibusque, quibus morbum removit, longioribus, non ubique apparuit. Quaeritur autem utrum huius opprobrii veritas novis observationibus affirmetur si remedium ab exordio statim in dosi satis magna adhibetur, nec ne.

Difficultas certe constituendi, quae salicinii quantitas chinii sulphurici quantitati par sit, permagna plane apparet. Ceterum hisce fere destinari potest.

In observatione prima, in apyrexia scrupulus, in secunda totidem, in tertia semidrachma, in quarta scrupuli duo, omnino igitur quinque scrupuli et se-

mis sine ullo effectu adhibiti sunt, dum chinii sulphurici grana duodecim in apyrexia quinta data, paroxysmum multo mitiorem reddiderunt et totidem in apyrexia sequenti data febrem penitus abegerunt. In observatione quarta in apyrexia scrupulus, in secunda scrupuli duo, in tertia totidem, omnino igitur scrupuli quinque frustra adhibiti sunt, cum octo grana chinii sulphurici sanatio secuta sit. — In apyrexia prima observationis nonae, drachma et semis in secunda totidem praescripta sunt, dum chinii sulphurici grana duodecim in apyrexia tertia adhibita paroxysmum paulo leniverunt et totidem in quarta, febrem sustulerunt. Attamen tertio quoque die paroxysmi vestigia inveniebantur, quae granorum duorum chinii sulphurici usum, mane vespereque in tempus quoddam postulabant. In observatione decima drachma frustra adhibita est dum chinii sulphurici grana duodecim effectus prosper secutus est. In febri quartana (obs. 2) in apyrexia prima, utroque die scrupulus ordinatus est, qui paroxysmum paulo leniorem reddidit, in secunda, utroque die semidrachma in usum vocata paroxysmus adeo lenitus est, ut febris ablata videretur, qua de causa in tertia nihil ultra datum est. — Quum vero nihilominus paroxysmus rediret grana chinii sulphurici sedecim febrem removerunt.

Inde apparet, octo chinii sulphurici grana drachmam semisque circiter vel totas drachmas duas Salicinii aequare; granum igitur chinii sulphurici circa duodecim ad quindecim usque Granis Salicinii par esse. Secundum hanc rationem Salicinii doses in

febribus intermittentibus curandis determinandae sunt, si eventus prosper exspectatur.

Hisce vero salicinium immo chinio praestat: In supra memoratis observationibus apparatum digestionis nunquam molestavit, dosibusque ipsis magnis ordinatis, nullam in arteriarum actionem exhibuit vim, quod vero in chinii usu saepenumero occurrit. Quare si quoque chinio maiorem febres intermittentes supprimendi vim tribuere debemus quam salicinio, hoc tamen praecipue in febribus intermittentibus levioribus atque in hominibus constitutione valde irritabili praeditis adhiberi posset.

Hodiernum et chinii et salicinii in officinis pretium hoc, loco illius adhiberi vetat, si vero res publicae pretium illius valde efferrent, salicinium maximi momenti esset, praecipue cum iure exspectari liceat, pretium eius magis magisque laxatum iri.

Scripta

quibus in elaboranda dissertatione usus sum:

E. Wolff: Bericht an das Ministerium, über das Salicin bei der Heilung von Wechselfiebern.

Journal de Chimie et Medecine. 1831.

Buchners Repertorium für die Pharmacie. 34. Bd.

Auerbach Nonnulla de salicinio cum chinio sulphurico comparata. Berolini 1831.

CURRICULUM VITAE.

Otto Ludovicus Henricus Ferdinandus de Besser anno millesimo octingentesimo octavo, vigesimo Januarii die, Limbsee Borussiae occidentalis pago, natus, patre Carolo a consiliis provinciae, quem inde ab anno proximo vita functum lugeo, matre Guilelmina e gente Benekendorff ab Hindenburg, confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus anno aetatis duodecimo Thoruni, tum Brunsbergi gymnasia, quae directoribus illustrissimis Brohm et Schmuelling florebant, frequentavi, ibidemque cum testimonio maturitatis secundi gradus, dimissus sum. Anno millesimo octingentesimo vigesimo sexto, Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi civibus adscriptus, in rem medicam quantum potui per quadriennium incubui, atque his virorum illustrissimorum et celeberrimorum praelectionibus et exercitationibus clinicis interfui: Illustr. Wolff de Hodegetice, Logice

et Psychologia; Illustr. LINK de Historia naturali, Botanice, Toxicologia; Cel. SCHULZ de Botanice; Illustr. LICHTENSTEIN de Zoologia; Illustr. TURTE de Chemia, Pharmacia et Physice; Illustr. HERMBSTAEDT de Pharmacia et Chemia, Illustr. RUDOLPHI de Anatomia corporis humani, de Anatomia foetus humani et organorum sensuum, de Entozois, de Physiologia, nec non de Methodologia et Encyclopaedia medicinae; Illustr. KNAPE de Osteologia, Splanchnologia, de Syndesmologia et Arte formulas medicas conscribendi; Illustr. HORN de Pathologia speciali et Morbis animi mentisque; Illustr. WAGNER de Medicina forensi; Illustr. OSANN de Materia medica Fontibusque medicatis; Illustr. FR. HUFELAND de Pathologia generali, Semiotice, Therapia tam generali quam speciali; Illustr. KLUGE de fascias imponendi Arte, de Ossium fracturis et luxationibus, de Chirurgia et Arte obstetricia, tam theoretica quam practica nec non de Aciurgia; Illustr. HECKER de Celsi libris; Illustr. JUENGKEN de Ophthalmiatrice et Chirurgia; Illustr. DE GRAEFE de aciurgia. Exercitationibus clinicis medicis interfui Illustr. WOLFF, BARTELS et W. HUFELAND, chirurgicis Illustr. RUST et DE GRAEFE, ophthalmiatricis Illustr. JUENGKEN.

Omnibus his praeceptoribus clarissimis et illustrissimis ad vitae finem usque, gratam incolumemque servabo memoriam.

Studiis peractis per undecim menses medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio caritatis Berolinensi functus sum; tum vero iussu ad legionem tironum militarium

equestrium Berolinensem me contuli, in qua a primo Septembris die h. anni medici inferioris officiis fungor.

Jam vero tentaminibus legitimis philosophico et medico rite absolutis, atque examine rigoroso coram gratioso Medicorum ordine superato, spero, fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Tunicas serosas inflammari non posse.

II.

Erysipelas faciei morbis exanthematicis adnumerandum esse.

III.

Sensuum illusiones non exstare.

IV.

Causam morborum animi mentisque proximam in libertate impedita atque suppressa positam esse.

V.

Falsum atque iniustum esse, morbis psychicis laborantes improbos habere.

VI.

Unumquemque morbo psychico corripi posse.

VII.

Suicidium etiam in sanis occurrere.

VIII.

Male et Anaxagoram: ὅτι χεῖρας ἔσχεν ἄνθρωπος, διὰ τοῦτο εἶναι σοφώτατον et Galenum: ὅτι σοφώτατος ἦν διὰ τοῦτο χεῖρας ἔχειν.

IX.

Ὅλον ἄνθρωπον ἐκ γενετῆς νοῦσον εἶναι. (Hipp.)

X.

Plerisque morbis internis tam physicis quam psychicis, multisque externis causam subesse gastricam.

XI.

Operationem hydroceles per incisionem aliis methodis praeferendam esse.